

II.

Quoad administrationem spiritualem in genere.

CAP. I.

PRAELIMINARIA

Cuncta hucusque recensita attentius considerantes, nonnisi ut media ad finem ab Ecclesia Pastori praestitutum habenda, sunt qui finis demum, tum in temporalis, tum in spirituali dominici illi commissi gregis administratione, quodam saltem modo, continentur. Certo quodam modo diximus, quia spiritualia pastoralis regiminis emolumenta industriasque a temporalibus adamussim seiungere fere impossibile dixeris; haec, enim, velut corpus in quo prima moventur ac operantur sunt. Si, igitur, in utrisque indigitandis [occasione data ac utilitatis, vel opportunitatis causa] spiritualia cum temporalibus ac vicissim interdum permiscimus, inepte agere ac in praefinitum ordinem nos peccare ne lector putet.

Articulus I.

DE BONI PASTORIS ZELO ET AD CULTUM MATERIALIBUS MEDIIS.

Spiritualis paroeciae administratio in cultu Deo praestando, in Sacramentorum fidelibus administratione, in eorum christiana observantia curanda omnia contineri, facile comperitur. De his, igitur, quae Deo primum, ac deinde quae hominibus debentur, tum iuxta canones, tum pastoralis regiminis normas iuxta, dicemus. Sed antequam ad tum spiritualis, tum temporalis paroeciae administrationis normas indigitandas gressum faciamus, prolegomena, quaedam [saltem indirecte] utramque attingentia innuere praestabit, quae hoc in praesenti articulo explananda suscipimus.

§ I — De Boni Pastoris zelo.

SUMMAE RERUM. — 210. Animadversione praeviae. — 211. De Pastoris zeli qualitatibus. — 212. De mediis ad zelum in se ipso a Pastore excitando ac fovendum. — 213. Conclusio.

210. — Omnis paroeciae gubernationis bonae spiritualis fons atque origo zelus est, illa nimirum, animi, affectio ac praxis a Deo procedens et per Ipsum operans, qua ut Divinam gloriam augeat, omnibus omnia factus, et ab illo igni quem Dominus venit mittere in terram incensus, dominico gregi sol, sal et lux Pastor efficitur. Hoc, enim, si Parochus careat, tum eius persona, tum eius opera, veluti fumus pertransiens ac aes tinniens, in populi sui que magnam perniciem erunt. Hoc Divino, ideo, igni adeo se ipsum accendat inflammetque Pastor bonus, ut, Deum eiusque gloriam tantum ac continuo prae oculis habendo, christifideles suos ad Supernam deducat Patriam.

211. — Sed ut Pastoris zelus in Dei gloriam ac animarum bonum reapse cedat, a caritate inflammetur, informetur scientia, fortitudine muniatur, ac firmetur constantia [quarum etsi una tantum desideraretur, non zelus, sed impatientia et zelotypia vel, quod sane peius, hypocrisis erit] omnino decet, Itaque:

a) A caritate Pastoris zelus inflammetur, qua incensus usque ad vincula strenue laborando, quantum in se est, ut sibi commissae animae ad bonam se recipiant frugem, ac per Domini vias incedant nil, cum nemine ac nunquam intentatum dimittit. Hac ratione omnia ac in omnibus ac cunctis Pastor factus, ut omnes ad Christum trahat, quae Angeli Loth, Stephanus Saulo, ac Monica Augustino, praestitere, fidelibus suis ipse impendit. Et de hoc pluries infra¹.

b) A scientia Pastoris zelus informetur necesse est, sine qua *aemulationem Dei habentem, sed non secundum scientiam*², eo mentis lumine [quod discretio dici consuevit] carendo, coecus, in mille incommoda erroresque se cum grege Pastor impinget. E contrario, qui eam discretionem quoque habeat, non tantum videt, sed inter tempus et tempus, personas ac personas adeo scite distinguit, ut in omnibus mensuram ac modum servet, quod in pastorali regimine [ubi tot negotia attendenda sunt] omnino pernecessarium est. Quo, igitur, ferventior zelus, spiritus vehementior profusiorque caritas, eo vigilantiori scientia,

¹ Cfr. in indic. alphabetic. *Caritas, Pastor, Parochus.*

² *Ad Roman. X, 2.*

quae zelum mitiget, spiritum temperet, caritatem ordinet, opus omnino est. Omnes, itaque, circumstantiae sedulo perpendendae veniunt, ne, dum quos Pastores emendare intendunt, graviore in praecipitium impingant, ac, ideo, dum Dei emolumenta pessumdant, seipsos quoque non apud Deum tantum, sed et apud homines minuunt. Homines, enim, [meminerint Pastores] si ad boni exitus sibi usurpandam laudem semper solliciti esse consuescunt, ad mali in Pastores refundendam culpam adeo sollicitiores, ut si quis immodico inopportunoque incendatur zelo, non tantum eorum fidem, sed et pastoralement immo cathedram amittant. Si, superius igitur, memorata argumenta Pastores haud persuadent, hoc saltem suadeantur, quo ne intemperantiae locum cedant devitabunt quam maxime. — Scientia vero ad indiscretum coecumque continendum zelum, non ea tantum est quae humanis comparatur mediis, quae, ut diximus, suis in partibus tam multiplex et immensa est, sed etiam [et, saltem, non secundo] supernaturalis illa quae [ut alibi recolimus], in oratione, meditatione ac lacrimis coram Deo fuis, uno verbo, in Pastoris sanctitate ac spiritualitate continetur. Haec, enim, si deficiat, eius persona et opera humanam tantum prudentiam redolentes, nulli adiumento, quin etiam sibi quoque, tum apud Deum, tum apud homines gravissimo detrimento erunt; uti vapores, enim, ad modicum parentes transiendo, non lucem sed tenebras, non beneficam pluviam, sed tonitrua ac procellas, aegro sitibundoque gregi comparabit.

c) Fortitudo zelum Pastoris muniat, qua tantum et per asperas, si opus est, incedendo vias, ut dominico gregi consulat, nil intentatum dimittit, de quo alibi diximus ¹.

d) Tandem et constantia Pastori necessaria, qua si ipse careat, incipiet quidem, at minime perseverabit, et per saltus at non per gradus incedendo, omnia perturbabit, pessumdabitque omnia. Et de hoc quae in re alibi recolimus haec locum obtinent ².

212. — Ad zelum in Pastoris animum fovendum quintuplicem amorem, nimirum, intensissimum in Deum, Ecclesiam, paroeciam, in animas sibi concreditas, ac in seipsum continuo excitet.

a) Deum ac Ecclesiam intensissime Pastor diligat, quo in utrisque adeo validissimo flagret studio, ut in omnibus semperque eorum gloriam quaerat: amor, enim, operari non renuit, et si renuit, amor non est. In hoc quidem totius christianae et, eo magis, pastoralis vitae compendium est, quod si quis negligat vel a latere tantum colat, non Pastor sed mercenarius, dominico gregi infestissimus, erit.

¹ Cfr. indic. alphabetic. *Fortitudo*.

² Cfr. indic. alphabetic. *Constantia*.

Non, igitur, sua, sed quae Dei sunt Pastor quaerat, et ad hoc omnem, in omnibus semperque sollertem sollicitudinem rectamque intentionem adhibeat.

b) Paroeciam sibi concreditam Pastor diligat, et ut christiana observantia inibi floreat adeo omni contendat nisu, ut in Dei Ecclesiaeque gloriam, in Episcopi laudem, suam in consolationem, coeteris omnibus illa exemplo esse possit. Haec, enim, casta Sponsa Pastoris est, ad quam strenue ab inimicorum insidiis tutandam a Deo missus, ne fracti iuramenti reus efficiatur, nil intentatum dimittere potest.

c) Dilecti gregis animas [et quam maxime] Pastor diligat, quarum pretium, dignitatem ac responsabilitatem adeo continuo cogitabit, ut nulli partium studio inserviando, ad eas omnes curandas indesinenter inflammetur ac excitetur. Sanguinis Christi pretium, regni coelestis coheredes animae sunt, de quibus arctissimam, tremendo in iudicio, rationem ab ipso summus ac Aeternus Pastor requiret. — Ex his et sui pastoralis regiminis momentum effluit, quod considerando, non amoris tantum, sed et timoris agitatus ac compulsus stimulus, ut lacrimis, oratione ac actione illi satisfaciat, omni contendat nisu. Pereant, igitur, omnia, at filiorum animae salvae fiant: Pastor, enim, bonus, adeo pro animabus omnibus sibi concreditis indesinenter satagere tenetur, ut et pro una tantum, se impendere et superimpendere ne renuat.

d) Tandem et se ipsum recte amet Pastor, quod persaepe ad rectum calcandum iter, quam coetera hucusque argumenta, validius esse consuevit. Non tantum, igitur, de divino iudicio ipse recogitet, sed et de propria apud Episcopum optima fama, et in plebe bono nomine sollicitus sit; quo dum ad suam in dominicum gregem curam omnem impendendam eius vires quam maximum augmentum capient, et quae in re ab hominibus omnibus pertimescenda sunt, cavebit.

213. — Conclusionis ergo se, tamquam alter Christus pro quo apud animas legationem fungitur esse, Pastor meminerit. Ab Eo electus ac missus ut plantet ac riget, extirpet ac serat et omne in dominico grege studium collocet, his omnibus studeat. Parochus, igitur, sicut ipse Christus, se totum, Christo opitulante, omnia animarum saluti vovere, consacrare, immolare debet, et ad hunc finem orationes ac lacrimas, studia ac labores, corporis mentisque facultates omnes deferre tenetur, immo, ut diximus, et animam suam pro grege dominico ponere paratus sit, ne a spirituali sua sponsa adulter, et ab Ecclesia fedifragus renuntiari possit. — At tunc tantum fratrum saluti efficaciter suam navare operam, cum propriae spirituali saluti in primis studeat, persuasum Parochus habeat. Rectus, enim, pastoralis zelus ab amore Dei procedit, et de

amore Dei ad proximi amorem extenditur, quod, si Pastor sauciaretur culpis, haud profecto assequeretur. Insuper tunc tantum supernaturalis, purus ac liber eius zelus erit, cum, non solum ab omni inordinata affectione, sed etiam ab omni humana consideratione expeditus sit. At haec omnia innuisse erit satis.

§ II. — De quibusdam ad cultum Deo praestandum necessariis.

SUMMAE RERUM. — 214. Animadversiones praeviae. — 215. De Ecclesia paroeciali, et ad rem canonicae normae. — 216. Pastorales industriae. — 217. De Ecclesiarum usu. — 218. Quae quoad altaria, canonica praecepta sint. — 219. Pastoris cura quae. — 220. De Sacris Imaginibus. — 221. De S. S. Reliquiis earumque tum canonica, tum pastorali cura. — 222. De Baptisterio atque in illud Pastoris sollicitudine. — 221. De campanis eorumque ecclesiastico usu.

214. — Publicum Pastoris zelum considerantes, in divini cultus a fidelibus Deo praestandi sollicitudine, in primis et ante omnia, contineri omnes comperient. Sed ut antequam aedificator suam incipiat operam, necessaria in re adiumenta sibi comparat, ita nobis, de divino cultu agentibus, quaedam in primis praemittenda sunt quae in praesenti et sequenti paragrapho, breviter at practice, recolemus.

215. — De loco ubi, in consuetis, divinus habetur cultus, quae paroecialis Ecclesia est, ante omnia dicendum, in quo ad rectum tractationis ordinem servandum, heic quoque praecedant canones¹ oportet, qui sic audiunt:

I. Extruere templa nova, collabentia restituere, eorumque benedictionem et usum, numerum, formam atque ornamenta determinare, servatis tamen iustis aedilitatis publicae legibus, ad Ecclesiam exclusive pertinet².

a) Summopere decet templa esse a civilibus immunia, et ideo a prophanis usibus eximi, excepto casu verae necessitatis v. g. tempore belli, pestis ecc., hygienicae inspectionis in Statu integro remanente iure.

b) Cuncta quae ad publicum cultum tum infra, tum extra Ecclesiam peragandum spectant in omnibus ac singulis statuere integrum ius Ecclesiae est.

II. Ecclesiae aedificatio, restauratio, demolitio, iuxta ss. canonum praescripta fieri debent, ac unusquisque in re iusta civilis legis statuta observet.

III. Antequam cultus in ea celebretur consecrari aut saltem benedici³, Ecclesia debet, et ordinarius consecrationis minister Episcopus est; extraordinarius vero

¹ Cfr. D. D. cit. — Pro legibus civilibus quoad Italiam cfr. Calchi Novati, *op. cit.* Lib. III, Titul. III.

² Cfr. Cavagnis, *Institut.* I. III, n. 209 et seq.

³ C. I. d. I. *De Cons.*

sacerdos quilibet a Romano Pontifice deputatus¹ esse potest. Consecrationis ritus a *Pontificali Romano*² statutus observandus est, et taliter cruces duodecim parietibus apponendae sunt, ut stabiliter³ illis adhaereant. Ecclesiae ex *coemento armato* constructae consecrari possunt⁴.

IV. Quoad Ecclesiae exsecrationem:

I. habetur quando: a) pro maiori parte ac simul eius parietes [non tectum] de novo construuntur; b) quando ita amplificatur ut vetusta ac praevalens pars non supersit; c) quando interior parietum superficies ex parte tollitur, vel abraditur⁵.

2. In solo exsecrationis casu, Ecclesia debet iterum consecrari.

V. Quoad Ecclesiae pollutionem:

1. habetur: a) per homicidium, etsi iusta de causa, voluntarium in ipsa commissum; b) per notabilem humani sanguinis effusionem, quae sit mortaliter peccaminosa; c) per malam ac moraliter gravem humani seminis effusionem; d) per infidelis, vel excommunicati denuntiati, aut publici clericorum percussoris in ea sepulturam⁶; non vero, probabiliter, per infantis non baptizati vel catechumeni, illorumve qui propter aliam rationem sepeliri in terra sancta prohibentur, inibi conditione.

2. Polluta Ecclesia, antequam iterum sacramentales functiones in ipsa denuo habeantur, reconciliari debet⁷. In re vero si simpliciter benedicta sit, a quocunque sacerdote, ab Episcopo delegato, reconciliatio fieri potest; si vero consecrata, a solo Ordinario vel ab alio sacerdote, ex indulto Apostolico, hoc fieri potest. Urgenti necessitate, ad ecclesiam pollutam donec ipse rite illam reconciliare valeat, simplici benedictione, benedicendam Episcopus delegare [probabiliter] potest.

3. Si polluat Ecclesia, ipso facto et coemeterium ipsi coniunctum polluitur, non vero viceversa.

VI. Quoad Ecclesiae immunitatem bina complectitur iura, nimirum: a) ius ad singularem honorem et reverentiam, propter quam actus sanctitatem loci dedecentes in ipsa prohibentur; b) ius asyli⁸, quem violare iubentes aut violantes, excommunicationem R. Pontifici reservatam⁹ incurrunt, salva contraria consuetudine.

VII. In cameris super Ecclesia vel cappella, in quibus quotidie celebratur, diu noctuque habitare ac dormire, omnino prohibetur¹⁰. Insuper Ecclesiae partem, praesertim consecratae, subter eius pavementum iacentem veluti cellarium et aliud huiusmodi ad vinum asservandum et ad alias res mere prophanas adhibere, quamvis ad praedicta loca aditus extra sacri aedificii corpus sit, minime licet¹¹.

216. Hisce prae habitis ad pastorales in Ecclesia paroeciali curas indigitandas accedimus, in quo adeo se habere in omnibus Pastor debet,

¹ C. 9 et 25 *De Cons. Ecclesiar.* X, III, 40.

² Part. II. 2 et 3.

³ S. R. C. 18 febr. 1696. — Cfr. Ead. in *Quebec*, 13 dec. 1895; decret. general. 4 febr. 1896.

⁴ S. R. C. in *Port. Princip.* 12 novembr. 1909.

S. R. C. 25 sept. 1815.

⁶ C. 27 d. I *De Cons.*; Martin. V *Ad evitanda*: C. 12 *De Sepultur.* X, III, 28.

⁷ C. 18 *De Sent. excommunic.* tn 6°.

⁸ Cfr. C. 6 *De Immunit. Ecclesiar.* X, III, 49; Benedict. XV *Institut.* 41.

⁹ C. *Apostolic. Sed.* II, 5. — Cfr. *Instruct.* — S. Offic. 15 jun. 1870, et S. Poenit. 1 febr. 1871.

¹⁰ S. R. C. 11 maj. 1641.

¹¹ Ead. 4 maj., 1842.

ut quam, ex canonica institutione, in sponsam sibi assumpsit, ornatam monilibus suis, ut suum hortum conclusum usque colat. Ad rem:

a) Quae de Ecclesiarum conservatione ac instauratione mox recensiti praecipunt canones, ad amissim servet Pastor, qui pluries in annum eam diligenter viset, et an aliquid instaurandum sit disquirat, et apte solliciteque cuncta quae ad rem faciunt disponat.

b) Munditiam ac nitorem in Ecclesia Parochus curet, quum tum Dei Maiestas inibi habitans, tum sacrosancta quae ibidem peraguntur mysteria, tum christifidelium aedificatio, hanc diligentiam sollicitudinemque, quam maxime requirant. Ecclesiae, igitur, parietes sine fuligine sint, collucescant vitrea, pavimenta vero [octavo saltem quoque die verenda] tersa sint; altaria, saepius per annum expolianda, candelabra, sacrae tabulae, imagines perpetuo niteant ac subsellia munda sint; pulvis nullibi, sed nitor in omnibus; omnia suum sortitum locum servant decenter, ac ubique ordo, munditia, decencia, nitor habeatur¹. Absurdum quippe videbitur sordescere in sancta, quae et in prophanis devitantur; absurdius vero si dum Dei Tabernaculum in paupertatis tentoriis inhabitat, adeo domum cedrinam Parochus incolat, et eius canonica tam operosis decussetur impendiis, ut ornamentum sacrosanctum cuiuslibet praecellat altaris!² Ad rem:

a) In quantum fieri potest, ut Dei viventis habitaculum decenter exornet Pastor, Scriptura Sancta eum commonet³. Quapropter ut suam ecclesiam non solum omni diligentia adhibita, sed etiam, principiis et christianae artis legibus [cuius prototypus sacra nobis exhibit antiquitas] ubique observatis, decoretur ac exornetur ipse curabit. Arceatur, igitur, quod prophanum mundi redolet usum; at omne quod coelorum sanctitatem sublimitatemque sapit excolatur⁴. Quidam, enim, qui, interdum, in Ecclesiis habentur ornatus, in bonae artis honorem haud profecto, cedunt!

b) At haec omnia vix obtinebit Pastor si aedituis vel quibuscumque id commissum est, ut perfectissime muneri suo satisfaciant, haud strenue invigilet, de quo opportunius mox⁵.

217. — Tandem et de Ecclesiarum usu dicendum, nimirum:

I) quot in die horae fidelibus patere possint; quo in negotio disparatissimae habentur consuetudines, quarum avariores, nimis stricte servantur. Quibusdam, enim, in locis, si sacrarum functionum tempus

¹ Cfr. *Instruct. Eystettens.* n. 120.

² Cfr. S. Petr. Dam., *Epist.* 19 *Ad Desider. Abbat. et Cardinal.*

³ Cfr. *Exod.*, XXVI, 30.

⁴ S. R. C., 19 dec 1693 — Cfr. *Visit. Ap. Urbis*, a. 1904.

⁵ Cfr. indic. alphabetic. *Aedituus*.

excipias, paroecialis Ecclesia per reliquum diem omnem nemini patet; quod sane [ni fallimur] sacrorum canonum vitaeque christianae menti haud consonum videtur, quum inibi orare, ac SS. Sacramentum invisere fidelium ius officiumque extet. Dum, igitur, cunctae adhibentur cautiones quibus loci sancti securitas reverentiaque in tuto poantur, ne pro maiore diei spatio Ecclesiae fores operiantur, providendum.

II. — An vero pro aliis, saltem indirecte, ecclesiasticis usibus [uti sunt praemiorum distributiones, academiae etc.] Ecclesiae adhiberi possint, quamvis de re explicitae habeantur prohibitiones, attamen consuetudines quam maxime differunt, quae, nisi diuturnitate raboratae, ac a loci Ordinario saltem toleratae, haud servandae sunt. — Quum vero, necessitatis causa, peculiare circumstantiae haec et similia suadeant, Ordinarii consensus sciscitandus est, et ne deputatorum vel consiliariorum electionis scrutinium inibi habeantur, prima prudentiae principia vetant. — Semper vero his et similibus in adiunctis, ne irreverentiae locus sit, SS. Sacramentum alibi deferre omnino necessarium erit.

III. Praxis exigendi pecunias ad ecclesiarum fores ut fideles ingredi et divinis mysteriis adesse possint, sicubi viget, penitus eliminanda est¹.

218. — Quoad Ecclesiae altaria ubi sacra a sacerdote aguntur, quae in re canonicae sint normae paucis sic accipe:

I. Prohibetur omnino missa celebrari in altari non consecrato. Aliud est altare *fixum*, immobili structurae inferiori stabiliter adhaerens², aliud *mobile*, aliud quod vocant *portatile*.

II. Episcopus, Abbas ac pro suis Ecclesiis Regularis praepositus usu pontificalium praeditus, altaria consecrare possunt, necnon quilibet ad hoc privilegiatus presbyter, non autem simplex sacerdos, nisi de extraordinaria commissione pontificia³.

III. Appositio reliquiarum⁴ [ex duorum corporibus saltem canonizatorum martyrum] necessario requiritur, et si, quacunquē de causa, deficiant, altare sive fixum, sive mobile suam consecrationem amittit. Loculum in quo recluduntur reliquiae, sigillo episcopali muniri expedit⁵. Petra consecrata, iuxta notissimas s. Sedis declarationes, adeo ampla esse debet quantum ordinarium quodcumque corporale linum, ut, scilicet, non modo calicem, sed et consecratam Hostiam ferre possit.

IV. Non licet construere et consacrare altare super sepul-

¹ S. C. P. F. *ad Episcop. Stat. Foeder. Americae Septentr.* 15 august. 1896 —

Cfr. *Epist. Segretar. Status, ad Delegat. Washing.* 1911.

² Cfr. S. C. Indulg. 26 mart. 1867 et 20 mart. 1846.

³ Cfr. S. R. C. in *Brunens*, 14 jan. 1910; 12 mart. 1909.

⁴ S. R. C. 23 mart. 1846, 10 maj. 1890.

chrum alicuius nisi sit Sancti ¹, neque iterare consecrationem priusquam de eius cessatione, saltem vere dubia, constiterit.

V. Exsecratur altare fixum si tabula a basi fuerit seiuncta, non autem si, totum altare alio transferatur. Tum altare fixum, tum mobile exsecratur per enormem aut vere notabilem ² fracturam, per reliquiarum ablationem, vel fracturam parvi lapidis, quo reliquiarum sepulcrum clauditur. Exsecrata Ecclesia, non ideo exsecratur altare, et viceversa.

VI. Regulariter non debet celebrari missa extra Ecclesiam in altari portatili ³, nisi debita habeatur Episcopi licentia, aut gravis urgeat necessitas sacrum faciendi extra proprium ac debitum locum.

VII. Indultum altaris privilegiati ⁴ tum locale, tum personale his conditionibus subiicitur: a) ut in Ecclesia aliud altare simili privilegio munitum minime adsit ⁵; b) ut altare sit defixum, immobili structurae inferiori stabiliter adhaerens; ⁶ c) ut celebrans particulari defuncto intentione, saltem virtuali, indulgentias applicet ⁷, nisi altaris privilegio quotidiani polleat. Regulariter, enim, nisi indultum aut alia circumstantia ⁸ obstet, indulgentiarum applicatio ab intentione missae separari nequit; d) ut diebus non prohibitis celebretur missa *De requiem*, qui prae ceteris in hebdomada a celebrantibus sunt eligendi ⁹.

VIII. Sacerdos privilegio altaris gaudens in quolibet altari illo fruitur ¹⁰. Hoc indultum vero personale ac generale conceditur; a) pro omnibus missis in die commemorationis Defunctorum ¹¹; b) quibusdam sacerdotibus iuris de caussis; c) sacerdotibus qui heroicum caritatis actum emisissent ¹². Cessante causa seu motivo formali concessionis, et privilegium cessat, non autem per destructionem Ecclesiae, vel mutatione ipsius altaris, aut amissione consecrationis, si in eodem loco Ecclesiae vel altare reaedificetur, vel iterum consecratur.

IX. Omnia altaria cuiuscumque ecclesiae in XL horarum precibus, privilegiata sunt, quocumque tempore fiunt ¹³.

219. — Hisce positis ad pastorales in re indigitandas normas ¹⁴ accedimus, quae huc redeunt:

a) An altaria sint enormiter laesa, aut fracta, seu alia detrimenta passa, aliquoties per annum, vigili oculo, perlustret Pastor. Insuper lapis consecratus si postea inutilis, in usum communem ac profanum con-

¹ S. R. C. passim.

² C. 3 et 6 *De Consecrat. Eccl.* X, III, 40; S. R. C. 3 mart. 1821.

³ Cfr. S. Alphons. VI, 356 et seq.

⁴ Cfr. Beringer, *Les Indulg.* p. 2, lib. 3. n. 25; Ballerini-Palmieri, *Op. th. mor.* t. V. pag. 676.

⁵ S. C. Indulg., 21 mart. 1742, 30 jun. 1843.

⁶ Id. 20. mart. 1846.

⁷ Id. 19 jun. 1880, 18 dec. 1885.

⁸ Id. 18 dec. 1885.

⁹ Id. 24 jul. 1885; 11 april. 1840.

¹⁰ Id. 15 mart. 1852

¹¹ Clemens. XIII, 19 maj 1761.

¹² Benedict. XIII, 23 agust. 1728; Pii VI, 12 dec. 1788; S. C. Indul. 30 sept. 1852; Leo XIII per ead. 19 dec. 1885

¹³ Rescript. Pii VII, 10 mart. 1817.

¹⁴ Cfr. *Instruct. Pastoralis Eystetten-* sis. n. 109.

verti non potest, nec vendi, nisi decenti honestoque in loco illum tenere emptor voluerit ¹.

b) Praecipuum altaris ornamentum in his quae ad missam celebrandam requiruntur, continetur. Triplici, igitur, mappa linea cooperiendum, una superiore saltem oblonga quae totam mensam tegat, cum duabus brevioribus vel una duplicata eidem substrata quae, omnes mundaе, satis amplae, et ab Episcopo vel eius delegato benedictae insuper sint.

c) Bina inter candelabra, pia crucis cum crucifixo eminens ae conspicua imago adeo statuatur desuper, ut non tantum a celebrante, sed etiam a populo commode aspici queat ².

d) Candelae non ex stearina seu alia materia ³, sed ex cera sint: electricum, loco cerae, adhiberi nequit; ad ornamentum vero permittitur, sed illo mediante, privatae vel publicae expositionis tempore, interioriorem partem ciborii illuminare, ut Sacra Pixis cum SS. Sacramento melius a fidelibus conspici possit, illicitum ⁴. Sine lumine celebrare semper nefas, neque lux electrica loco cerae, neque gaz in altare adhibere licet ⁵.

Coetera quae ad rem faciunt, de missarum celebratione ⁶ dicentes, recolemus alibi.

220. — Quoad Sanctorum spectat Imagines, antequam exponantur benedicendae sunt ⁷; quae fixa et altaris titularem repraesentat, ut alia suo in loco suffici possit, ne diutius velanda vel impedienda est. — Cum vero nil tam sanctum quod simplicitas aut effrenata hominum licentia quandoque abutatur, ita et legitimus SS. Imaginum usus [qui omnino probandus sanctusque est] interdum ad superstitionem fovendam, et forsitan, ad mercaturam alendam, perverti consuevit. Qui detestabiles abusus omnino tollendi, et heteroclitae eiusmodi opiniones, ex plebis animo radicitus evellendae sunt ⁸. Insuper:

a) Imagines praeeistentes deturpare vel in Ecclesia quamlibet insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo adprobata fuerit, nemini liceat ⁹.

b) Quoad cultum vero ipsis praestandum, quae SS. Imagines incensari debentur: quae Sanctorum duplici, quae vero Christi sunt triplici thuribuli ductu faciendum, quod et de Divini Infantis simulacro, natalitio tempore, principe loco super

¹ S. R. C. 9 maj 1606.

² Ead. 2 sept. 1741.

³ S. R. C. 16 jun. 1663, ad 1 et 2; 17 sept. 1822.

⁴ S. C. R., 28 jul. 1911.

⁵ 7 Ead. 8 mart. 1879.

⁶ Cfr. indic. alphabetic. *Missae*.

⁷ S. R. C. in *Act. S. Sed.*, vol. XXXII, 756.

⁸ Cfr. S. Offic. 13 jan. 1875; 13 jul. 1893; 19 jan 1895; 15 mart. 1902.

⁹ Trid. XXV, *De Invoc.* 55; Urban. VII.

Sanctissimus, 4 april 1625; *Coelestis Ierusal.* 14 jul. 1634; *Sacrosancta Trid.* 1642.